



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXIX. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

Maria Paradysus est voluptatis, quem Deus omnibus gratiæ delictis cumulavit? *S. Petr. Dam.*

Quæstio: Quali die hebdomadæ Christum Deipara peperit? *v. Barr. tr. 1. c. 10.*

XXIX. DECEMBRIS.

S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, adhuc adolescens à Deipara capsulam dono accepit, in qua casula inclusa fuit: aliàs eum in reficiendo cilicio, quod longo usu attriverat, juvit. Dum quotidie 7. ejus gaudia totidem orationibus colebat, à Deipara didicit ea gaudia quoque colenda esse, quæ nunc in cælo habet, suamque hoc præstituris opem est pollicita. *Vita.* Juxta meritum quantitatem ibi gaudia mensurantur.

S. Thoma tantis à Deipara favoribus prævente, ora pro me, ut carnem meam spiritui subicere, sensualitati mortificatione contraire discam, ut spiritus dominetur nunc corpori, sicque æternam triumphet in cælis. *O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.*

Ad quod impetrandum: 7. Ave Maria, in eorum quæ in terra habuit, & totidem in eorum quæ nunc in cælo Deipara habet, gaudiorum memoriam dicam.

Hæc Regina misericordiæ est. Domina mundi, Regina cælorum, lumen cæcorum. Justorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, salus orbis. *S. Bern. c. in Salv.*

Reg.

Quæ

Quæstio : An in stabulo Deiparæ Angeli
visibiliter serviverint?

XXX. DECEMBRIS.

S. Eguinus Episcopus fugit hominum mul-
titudinem , ut in solitudine ab omnibus
abstractus impensius Mariæ amori & cultui
serviret , quæ ingenti SS. Virginum numero
stipata ctucem manu gestans eum invisere
dignata , eidem signo crucis benedixit , quo
loco monasterium ejusdem honori condi vo-
luit. *Gonon. an. 724.* Sic hæc nos visitat, ut nos
hanc colimus.

S. Eguine ora pro me Deiparam benedi-
ctam inter omnes mulieres , ut saltem unam
ab ea in vita benedictionem obtineam , inde
veniet auxilium mihi , & omne bonum. ☉
Sanctissima Dei, &c. f. 190.

Ad quod impetrandum : hebdomadam
agam Marianam ; die Dominico eam ut man-
cipium Dominam , Lunæ ut Cliens Advocata-
tam, Martis ut æger Opitulatricem , Mercurii,
ut mendicus Reginam, Jovis ut reus Reconcili-
atricem , Veneris ut desolatus Consolatri-
cem, sabbathi ut filius Matrem colam.

Per Mariam speramus nos posse conse-
qui, quidquid totius bonitatis factor dignatus
fuerit gratiæ nobis impertiri. *S. Bern. sup. Salvo.*
Reg.

Quæstio: An Deipara in extasim rapta Chri-
stum pepererit?